

ergo viros ac mulieres magnos ac parvos e domibus ruere, certatimque currendo ad nostrum hospitium prædicti gratia sacramenti properare. Plures siquidem anni apud eos transierant, in quibus nullus episcoporum illic fuerat, tali officio passus occupari. Sexto demum die, cum jam innumeram multitudinem confirmasset, et nos a loco dicessuros longum iter ipsius diei, quod instabat, festinare compelleret, ecce puella quædam domum, de qua equos ascensuri egrediebantur, introiit flebili pietatis affectu se confirmari deposcens. Quod quidam ex sociis nostris audientes nimis moleste tulerunt, et verba illius, utpote qui jam talium erant tædio affecti contradicendo depresserunt. Quid plura. Virum precibus puellæ assensum tribuere volentem, ipse objecta longitudine diurnæ viæ, objectis periculis, quæ nocturnos viatores, in peregrina quam maxime patria, comprehendere solent, detinuerunt, et ne voci ipsius auditum præberet, obtinuerunt. Sed ubi aliquantum processimus, venit patri in mentem, quibus acquieverit, quid egerit. Illico nimis impietatis seipsum arguens, tantum exinde concepit cordis dolorem, ut quamdiu vitæ præsentis superfuit pœnitudo ipsius facti, ut sæpe fatebatur, ab animo ejus non recesserit. »

II. Ex desiderio et fervore suscipientium. E quorum numero sunt imprimis Bertinenses, uti jam audivimus ex vita Sancti Anselmi Cantuariensis episcopi. Japonii tanto cum pietatis sensu superiore sæculo ad fidem conversi sacramentum hoc adierunt, ut Aloysius episcopus Japoniæ admiratus diceret, se nusquam reperisse gentem, quæ tantam præferat pietatem et devotionem erga hoc sacramentum, Daurollius, in catech. tomo III. capite V. Non minor sollicitudo, fuit primorum Christianorum ut sacramentum hoc munirentur, præsertim persecutionis tempore, ut patet in tribus illis conversis e gentilismo Marcelliano, Secundiano et Veriano; qui a Xysto papa confirmati ad martyrium se præpararunt et ad id obeundum sponte se obtulerunt, apud Sanetum Antoninum, p. 1. histor. cap. VII. tit. VII. parte IX. in Aproniano, qui a Sisinnio diacono baptizatus, et Marcello papa oblatus est, sacro chrismate consignandus, eo comperto a præside ad martyrium ductus, apud Lipom. tomo IV.

III. Ex odio Satanae erga hoc sacramentum. Quod imprimis ostenditur ex confessione ariolorum, qui dum præsentem Juliano apostata imperatore nihil conjectare ex victimarum extis et visceribus possent, exclamarunt se suaque vatæcinia impediri a quodam uncto Christiano, qui sit præsens; deprehensusque unus ejusmodi ex armigeris Augusti, qui se confirmatum

protestatus omnia conturbavit, et terrore implevit, apud Gregorium Turon. de glor. mart. cap. XXI. Simile est quod refert Lactant libro de vera sapientia, libro IV. capite XXVII. « Cum diis, inquit, suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant: nec responsa potest consultus reddere vates. Et hæc sæpe causa præcipua justitiam persequendi malis regibus fuit. Cum enim quidam nostrorum sacrificantibus dominis assisterent, imposito frontibus signo, deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. » Hanc eandem ob causam affirmat S. Hippolytus, in libello de consummatione mundi, futurum ut antichristus inter alia edicat et jubeat, ne quis in fronte sua crucem pingat: utique ex dictamine mali sui genii, qui sacrae crucis in fronte pictæ acerrimus hostis est. Hac enim de causa videtur instigasse superioris sæculi hæreticos, ut hoc sacramentum una cum episcopis, quorum est id conferre, prorsus eliminarent. Quemadmodum enim Philisthæi, cum prævalerent aliquando Hebræis, rem eo deduxerunt, ut nullus esset in terra Israel faber ferrarius, qui eis arma cuderet, quibus oppugnari ab illis possent, 1. Regum XIII. ita omnino cacodæmones effecerunt apud plurimos, in schisma et hæresin prolapsos, ut hoc sacramentum, et qui id conficiunt episcopi, prorsus exterminarentur; scientes se his armis eorumque fabris gravissime impugnari.

IV. Ex damno quod imminet saltem iis, qui hoc sacramentum suscipere negligunt. Id vero tale est, quale militis gladio destituti dum in militia versatur. Quando David per fenestram a sua Michol demissus fuit ad declinandas Saulis insidias, libertatem quidem consecutus est, sed interim inermis vagabatur in solitudine, ubi et leones et ursi, homines item adversarii, nihilo mitiores illis occurrere ei poterant. Quid igitur agat? Ad Achimelech summum sacerdotem venit, et ab eo gladium Goliathi, quem in loco sacro deposuerat, repetiit, eoque se in posterum strenue tutatus est, 1. Regum XXI. Evasimus et nos per baptismum e manibus inimici nostri capitalis, diaboli, et liberi quidem sumus, nondum tamen armis satis communiti: vagamur enim adhuc inter plurima pericula, quasi inter ursos et leones, inter inimicos: gladio igitur opus est, et quidem sacro et præstanti. Hunc quis nobis exhibeat nisi summus aliquis sacerdos seu episcopus in sancta confirmatione? Ita sentit et docuit sanctus et antiquissimus pontifex Melchisedes papa, ut habetur disputatione V. capite de his, de consecratione, ubi hæc legimus: « Quid mihi prodest (ait hæreticus) post mysterium baptismi, mysterium confirmatio-

nis? Quasi non totum de fonte suscepimus, si post fontem adjectione novi generis indigemus. Cui Melchisedes respondet: Non ita dilectissimi. Imo sicut exigit militaris ordo, ut cum imperator quemcumque receperit in militum numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptismo recipitur homo in militiam, et in confirmatione coarmatur ad pugnam. » Hoc ergo gladio qui carent, quomodo satis se defendent contra insidiatores, hæreticos, Turcos, improbos, dæmones? Certe Eusebius, libro VI. historiarum, capite XXXV. (vel juxta aliam editionem, XXIII.) scribit Novatum, cum rejecisset hoc sacramentum, non solum a dæmone correptum fuisse; sed etiam cum esset presbyter, in persecutione præ metu negasse se esse presbyterum. Ad hæc vir S. Vincentius Ferrerius, concione in domin. II. quadragesimæ affirmat in antichristi persecutione, fore in confessione fidei constantes eos, qui confirmationis sacramento fuerunt communiti: multis interim deficientibus, qui solo suscepto baptismo, confirmationem non acceperunt. Et sane ipsa experientia satis demonstrat catholicos eo sacramento munitos rarissime deficere ad hæreticorum partes, etiam cum ab ipsis in carceres traduntur seu fidei causa, seu ob quædam delicta; quinimo ad martyria se paratos exhibere. E contra catholici non solum fidem seu potius perfidiam suam continuo immutant et cum aliis sectis commutant, sed etiam cum ad partes catholicorum deveniunt, magno numero se convertentes, ad Ecclesiæ gremium redeunt: neque etiam videre et apud illos, qui pro tuenda fide sua ad martyria se offerant, aut maria transmittant ad propagandam suam gentibus opinionem. Propterea Christus jam ad cælos ascensurus suos admonuit: *Vos autem sedete in civitate* (Jerusalem) *quoadusque induamini virtute* (Gr. *vi et robore*) *ex alto*, Lucæ XXIV. quasi dicat: Quoadusque vos accingam gladio. Nam, ut ait S. Chrysostomus, in catena: « Sicut milites invasuros multos dux exire non sinit, donec armati sunt; sic et Christus discipulos ante Spiritus adventum ad conflictum egredi non permittit. » Quare uti Constantino Magno dictum ostenso crucis signo: *In hoc signo vinces*, ita dictum sibi existiment cæteri Christiani, signo crucis in confirmatione sibi impresso, se aereas potestates multo facilius quam si eo carerent, debellaturos. » Inde est, inquit Beatus Petrus Damiani, sermone 1. in festo dedicationis, quod decretalis pagina, et sanctorum patrum instituta decernunt, non esse differendam post baptismum sacramenti hujus virtutem: ne nos inermes inveniatur fraudulentus ille contortor, a quo nemo unquam nocendi in-

ducias extorsit. Delibuti igitur utriusque rostris unguento, illo sanati, confortati isto, securius descendamus ad singulare certamen. Nec nos deterreant arma Goliæ, vel magnitudo moveat staturalis, quia nobiscum est magnus Dominus Deus noster, et magna virtus ejus, apprehendens armam et scutum ut exurgat in adjutorium nobis. »

## CONCIO V.

PECCATUM SUMMO ODIIO HABENDUM VELUT TENEBRÆ EGYPTIACÆ.

I. Quia eripit homini Deum, ejusque gratiam. — II. Aufert lumen intellectus. — III. Perdit omnia nostra bona opera et merita. — IV. Quia bene agere et mereri aliquid non permittit. — V. Non concedit lapso facultatem per se resurgendi. — VI. Hominem infamat. — VII. Peccatorem cruciat. — VIII. Trahit in tenebras exteriores.

## THEMA.

*Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.*  
Joan. III.

Æneas Sylvius, postea papa Pius II. dictus, scribit in suo commentario super acta Alphonsi regis Aragoniæ, libro IV. cap. 1. interrogatum aliquando ab Alphonso cæcum jam grandævum, qui ante annos sexdecim lumen se oculorum amisisse dicebat, an moleste ferret suam cæcitatem, illumque respondisse: *Nisi divina gratia esset adjumento, nemo cæcus videre optaret; tanta est miseria cæcitatibus, iis præsertim, qui aliquando lumen viderunt.* Non difficile credi potest, quod hic cæcus dixit; experimus enim densas et diuturnas præsertim tenebras supra modum esse molestas. Obnube vultum a ostulo, mox velamen omni conatu detrahet ab oculis. Cæci quotquot occurrere Christo, nil aliud petierunt, etiam optione data quilibet petendi, nisi ut viderent. Ecce vero, nisi quia tenebras pro maxima habuere miseria? Certe etiam Moyses, cum per octo gravissimas plagas frustra conatus esset frangere pertinaciam Pharaonis, nonam abiecit, tenebrarum triduanarum, quasi omnibus gravio-rem; unde eam Euthymius *gravissimam* appellat, quia lumem adimit rerum omnium pulcherrimum, et imprimis hominibus maxime opportunum; nec gravior plaga secuta, nisi ultima rerum mors et interecio primogenitorum. Jam si res ita se habet, quo modo fieri potest, ut reperiantur homines, qui teste Domino in hodierno evangelio, tenebras magis diligant quam lucem? Intelligit autem secundum glossam, per tenebras peccatum. Si tenebræ sunt peccata, qua ratione diligere possunt? Quomodo non potius summo odio habentur, et di-







cupiens placere, nihil non obsequii præstaret, interim et semper displiceret: *Servire e non gradiri, è cosa da morir*, dicunt Itali.

V. Densæ tenebræ quasi vincula hominem constringunt ac retinent, ne progredi et iter facere queat: cum nesciat quo vadat, ubi cadat vel impingat. Tales imprimis erant Ægypti tenebræ, adeo crassæ, ut Ægyptii: *Vinculis tenebrarum et longe noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt*, ait Sapiens, Sap. XVII. et infra: *Una catena tenebrarum erant omnes colligati*: Exod. X. additur: *Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat*. Idem accidit iis, qui in peccato hærent, neque enim resurgere a lapsu, vel movere etiam se ad Dei gratiam reparandam suis viribus possunt, nisi Dei gratia ipsos excitet, adjuvet et erigat: prima enim gratia sub meritum non cadit; alioquin non esset gratia; ut cum Concilio Trid. docent theologi. Quare similis est peccator collapsus elephantis, qui nisi adjuvetur ab aliis elephantibus aut venatoribus, surgere non posse dicitur, ob gravem corporis molem et pedum inhabilitatem: vel equo in altiore foveam præcipitato, qui nisi validis extrahatur funibus, per se non emergit. Talem captivitatem Jerosolymæ lamentatur Jerem. Thr. 1. *Dedit me in manu, de qua non potero surgere*. Nulla enim ratione emergere e captivitate potuissent, nisi Deus cor Cyri ad hoc concedendum permovisset. Atque hoc, ni fallor, sibi voluerunt Septuaginta interpretes, quando ad Eccl. c. XVI. § XV. addiderunt hæc (ut habent Græca exemplaria): *Dominus induravit Pharaonem, ne nosceret eum; ut utique cognoscerentur operationes ejus in eo quæ sub cælo, omni creaturæ misericordiæ ejus manifesta et lumen ejus et tenebras ejus divisit adamante*. Nempe his postremis verbis faciem adhuc pertulisse ait ibi Tufo. Videntur autem hæc ratione commode explicari, dum Ægyptii involverentur tenebris; Hebræi interim in suis sedibus et stationibus luce fruebantur. Jam vero dicat aliquis: Cur Ægyptii habitantes prope et inter Hebræos, præsertim in Gessen, non migrarunt ad Hebræos, ut luce ipsorum gauderent? Respondent Septuaginta lucem Hebræorum a tenebris Ægyptiorum divisam fuisse adamantem, hoc est, muro quasi adamantino, fortissimo et inseparabili; quomodo Ovid. l. IV. metamorph. dixit, inferni aditum obseratum esse adamantem, et regias Martis fores, Statius, lib. VII. Ut igitur adamas nullis malleolorum ætibus cedit aut confringitur: ita et peccatum nullis humanis viribus contineri in peccatore aut tolli potest ab eo, ut in Dei gratiam redeat et lumen gloriæ videat, nisi Dei gratia ipsum præ-

veniat et peccati duritiam frangat. O malum virulentum et pestiferum!

VI. Tenebræ obscurant hominem et quasi honore sibi debito spoliant, dum incognitum faciunt, qua de causa aliquando mendici Sancto Stephano Hungariæ regi, sub obscuram noctem eleemosynas distribuenti, barbaram evulserunt, quia eum non noverant. Imo et infamant eos, qui tenebrarum amantes vagantur noctu, et sequuntur suos amores, aut furta et latrocinia. Unde Dominus in hodierno evang. *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum opera mala, omnis enim qui male agit, odit lucem*. Adamantina igitur tenebræ ostendunt hominem malum. Ita peccatum hominem infamia quasi nigredine aspergit, vilem et obscurum reddit; adeo ut in primis tegere cogatur peccati sui turpitudinem, ne coram aliis pudeat; quod videre fuit in Herode, qui Joannem incarceravit, ne amplius audiret redarguentem se de incestu suo. Quærit enim in peccato utilitatem quidem aut voluptatem, turpitudinem vero inde emanantem subterfugit; Deus autem quia justus est, profert in lucem, quod peccator in occulto facit; ut in Herode et Davide aliisque elaret, quandoque etiam infami supplicio punit. Deinde, in corde sub erubescit de peccato perpetrato, licet nemo eum arguat. Certe Joannes Herodem coram alio tribunali minime accusavit, sed ad solius conscientie suæ tribunal adduxit, nec tamen ab Herode sustineri potuit, quia: *Inimica furi lux est, et qui ægris oculis sunt, solares radios ferre nequeunt*, ait Sanctus Chrysost. hom. XXVIII. in II. ad Corinth. Hinc Cain abscondit fratrem a se occisum, teste Josepho, Moyses Ægyptium, etc. hinc fœtere diæuntur peccatores Deo et hominibus, ob infamiam quem emittunt, pessimum odorem: hinc eorum nomina sæpe abolentur et proseribuntur, domus subtruntur, familie exauctorantur et in ordinem rediguntur. Deus ipse, Ps. XV. ait: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*.

VII. Tenebræ præsertim diurnæ hominem affligunt, uti quæstum fuisse Tobiam supra diximus; quia hominem sciendi cupidum constringunt ad ignorantiam et compingunt quasi in carcerem. Id vero imprimis factum in Ægyptii tenebris, in quibus male sibi consilii omnia pavebant et horrebant, sive sonum avium, sive mugitum bestiarum, sive strepitum arborum, sive murmura aquarum audirent, ut docet Sapiens, Sap. XVII. Non aliter peccatum suum auctorem et parentem proprium invadit et cruciat, uti Sanctus Chrysostomus, homil. XX. in Genes. describit his verbis: « Peccator habens acrem illum accusatorem, conscientiam, nunquam sic in solitudine versatur, quin suspi-

ciones timeat, umbras tremiscat et eos, qui consilii sunt, et qui non sunt. Perpetua in animo ejus tempestas est, et reciprocantes ac contrarii ductus. Insuper neque somnus ei suavis, sed terrore et formidine plenus: neque cibus voluptatem præbet: neque amicorum colloquia talem refocillare vel liberare ab urgente anxietate possunt; sed quasi carnificem circumgestat se lancinantem et flagellantem continuo: ita post absurdum facinus obambulat, nullo consilio, sustinens intolerabiles pœnas illas, et judex sui facinus et accusator. » Id vero idem sanctus pater ostendit primo, in fratribus Josephi, qui in angustias redacti statim recordantur sceleris sui dicentes: « Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum minimum, etc. » In quæ verba homil. LXIV. in Genesim ait: « Vide nunc quomodo conscientia eorum, incorruptus ille judex, adversus eos insurgat, et nullo arguente vel in medium quidpiam afferente ipsi sui ipsorum accusatores fiant: » et Theodor. ibid. « Inde constare potest aperte conscientie judicium esse inevitabile: refrigat enim memoriam sceleris ante duos et viginti annos admisisi, » quæst. CII. Ac tamen Josephus nihil hostile moliebatur, sed lautum potius prandium eis apparebat, ipsi nihilominus introducti ad triclinium, suspicati sunt insidias sibi paratas et capitis periculum metuiebant ob deportatam in sacculis pecuniam, tanquam de furto convicti forent. Deinde, id ostendit Chrysostomus, homil. XXVIII. in II. ad Corinth. in Herode, qui Joannem a se decollatum surrexisse a mortuis dixit, Marc. XVI. ipsum esse, de quo fama erat, Christum arbitratus, ob remorsum scilicet conscientie, ne forsitan ab eo rursum argueretur, et pœnas necis ei dare cogeretur. « Adeo virescentem, inquit, habebat metum et perpetuum certamen, et neque conscientie poterat abjicere formidinem, sed mansit judex ille incorruptus, constringens illum, et quotidie pœnam cædis exigens. »

VIII. Postremo tenebræ non solum hominem usura lucis et aspectu rerum omnium delectabilem privant, sed immani etiam tristitia afficiunt, uti experiuntur cæci, et qui in subterraneis carceribus detenti sunt; maxime vero experti sunt Ægyptii, qui in tenebris audiebant

horribiles sonitus, videbant per flammam intermicantes spectra et monstra terrificam, quæ illos tantum non examinabant, ut habetur, Sap. XVII. Peccatum etiam non modo aufert hominibus lumen gloriæ, et cælestis beatitudinis consortium, sed abjicit præterea in tenebras gehennæ exteriores, ubi in mediis ignibus eos cruciabit terrifico spectrorum et larvarum, quas objicient eis cacodæmones, aspectu aliisque innumeris pœnis. Ibi per circumfusum ignem videbunt quidem ea, quæ ad cruciatum eorum augendo faciunt, quoad cætera vero in perpetuis erunt tenebris. Unde infernus appellatur terra miseræ et tenebrarum, Job. cap. X. vers. XXII. « Misera ad dolorem pertinet, tenebræ ad cæcitatem, ait S. Gregorius, lib. IX. moral. cap. XVI. quia foris dolor cruciat quos diversos a vero lumine intus cæcitas obumbrat. » Appellatur et *umbra mortis* eodem loco; tum ob perpetuos timores, quales habent, qui umbras timent. Unde ibidem Gregorius: « Infernum et umbras mortis obscurat, et sempiternus horror inhabitat, quia ejus ignibus traditi et in suppliciis dolorem sentiunt, et in doloris angustia pulsante semper pavore feruntur, ut et quod timent, tolerant, sine cessatione pertimescant. »

Quæ cum ita sint, quis jam non dico admare, sed non horrere super omnia horribilia possit tenebras peccatorum, quæ in tot tantaque mala hominem conjiciunt? Quid enim his miseris comparari queat? Cogitemus vel hanc, qua interdum fruimur lucem, et quas noctu patimur tenebras. Quid usura lucis jucundius et amœnitas? Quid densis noctis tenebris molestius ac molestius? Quid erit lux cælestis? Quid tenebræ infernales? Ac propterea constituit Deus nos in terra inter cælum et infernum, ait auctor imperf. homilia XXXIV. in Matth. « Ut super terram habitent certantes, in inferno victi in cælo victores, ut et nos in medio constituti, contendamus ad eos ascendere, qui sunt in cælo. Et ne forte nescias, quid debeas fugere, aut quid debeas sequi, utriusque dedit tibi quasi modicum gustum inter lumen et tenebras habitanti: noctem de inferno, lumen de cælo. Nox tibi referat de tenebris inferorum, et lux tibi referat de splendore cælesti. »